

& ex nostris viribus profectum; ut utile atque commo-
dum sit illi, de quo bene mereri cupimus; ut deniq; mer-
cede sit dignum, ac proportione, si non superet saltem
exæquet mercedem, quæ inde speratur: Ex quibus conditio-
nibus, si vel unica saltem desit, omnis continuò fiducia, quæ in
merito posita erat, vana redditur atq; irrita.

*XLVI. Jam autem bona opera etiam Renatorum, Om-
nibus hisce conditionibus penitus destituuntur, si
præsertim ad severiorem & exquisitiorem calculum revocen-
tur & exigantur? Sunt enim illa, multis modis imperfecta
Psal. 130. v. 3. & 143. v. 2. Rom. 7. v. 18. 19. Galat. 5. v. 17.
menstruis sunt similia, Esaiæ 64. v. 6. & peccatis insuper
multis contaminata Exodi 34. v. 7. 1. Iohann. 1. v. 8. An non
igitur extrema temeritatis est existimare, eos, qui solvendo
non sunt, imò, qui debita quotidiè augent, aliquid adhuc pro-
mereri?*

*XLVII. Similiter bona opera renatorum reverâ jam
ante sunt debita, & DEO nullam possunt afferre utilitatem,
Luca 17. v. 10. nullam prorsus cum mercede propor-
tionem habent; Gen. 32. v. 10 Rom. 8. v. 18. Sunt omnis omni-
nō gloriationis expertia Romanorum cap. 3. v. 23. & 27.
nec deniq; sunt vere nostra aut ex viribus nostris profe-
cta, siquidem omnia quæ habemus à DEO accepimus, Iohann.
15. v. 5. I. Cor. 3. v. 5. 6. I. Cor. 4. v. 7. Sicut ipsa quoq; vita æter-
na est donum Dei gratuitum, Rom. 6. v. 23. & merces ejus-
modi quæ non secundum debitum, sed secundum gra-
tiam obtingit Rom. 4. v. 4 Unde etiam hæreditas dicitur,
Colos. 3. v. 24. quæ nullus nostris servitiis acquiritur, sed solo so-
lius Christi merito parta jure filiationis & adoptionis gratuita,
per fidem ad nos derivatur.*

3.
Bona opera
destituuntur
requisitis me-
riti.

4.
Vita æterna
est donum
Dei gratui-
tum.

III. Bo-